

PROLEGOMENA.

§. 1.



Commune philosophiæ moralis fundamentum esse *theologiam naturalem* omnes, penitiorum rerum cognitionem habentes, haut diffitebuntur. Frustra enim, ut homines præceptis *justitiæ & amoris* convenienter vivant, injungitur, nisi antea, *Deum dari*, probaveris, & quod ille ad has vel illas actiones omittendas aut faciendas nos obligare *potuerit ac voluerit*, eviceris.

§. 2. Olim quidem naturalem de Deo doctrinam vel ad *metaphysicam partem specialem*, vel ad ita dictam *pneumaticam* referebant. At enim vero Deus ob sui excellentiam utique meretur, ut unice singularis disciplinæ *objectum* sit.

§. 3. Per *theologiam autem naturalem* intelligo illam *scientiam*, quæ ex solo *inspirationis lumine* probat & docet, quid Deus circa sui cognitionem & cultum in *statu nature* exigat, ut eidem *simus grati*, adeoque *conscientiam naturaliter tranquilam* habeamus. Hanc de Deo doctrinam alii vocare solent *religionem naturalem*.

§. 4. Ex modo data definitione patet, quod *theologiæ naturalis* duæ sint partes,

Ima exhibet *Dei cognitionem*, quæ ut rite tractetur, dabimus (1) *Dei definitionem*, (2) *divinæ existentia demonstrationem*, (3) *errorum oppositorum*, sc. (4) *atheismi*, (5) *Pantheismi*, (6) *super-*